

magni can in capite istarum duarum dietarum inuenitur magnum flumen carramoran quod per contratam transit sepedicti vncan. Est equidem ualde profundum & largum nam est largitudinis unius miliaris & est ita profundum quod per ipsum duci magne naues possunt. in eo inueniuntur multi pisces & magni. Item in isto flumine sunt tot naues quod timeo dicere numerum ne dicar mendax & non solum in isto loco set in multis alijs ubi cumque iuxta predictum flumen sint ciuitates firmate que naues quandocumque est necesse portant ad insulas maris exercitum magni can & mare confinat ab isto loco ubi sumus ad presens per unam  
38<sup>r</sup> dietam| & quelibet nauis bene requirit viginti marinarios & plures & bene quindecim portat equos cum hominibus & uictualibus oportunis. Ab uno quidem latere fluminis est ciuitas una que(?) uocatur coigançu ab altero uero latere in oppositum istius est alia ciuitas nomine quaçu. set una est magna altera uero parua & cum transitur istud flumen intratur in prouinciam manci Set non credatis quod seriatim tractauimus de tota prouincia cathay. ymo non uigesimam partem nisi secundum quod ego marcus per prouincia[m] transitum faciebam sic descripte sunt ciuitates in transitu existentes pretermisis que sunt a lateribus & per medium quod enarare nimis foret prolixum/

Coigançu est quedam ciuitas multum nobilis diues & magna que uersus syrocum firmata est in introitu prouincie manci. habet itaque nauigium in maxima quantitate nam ut superius dictum est sita est iuxta flumen magnum nomine caramoran ad istam quoque ciuitatem mercimonia multa feruntur nam capud est regni. fit etiam in hac ciuitate sal de quo sufficienter habent ad suum usum bene quadraginta ciuitates & plures & magnus can maximum percipit redditum & prouentum tam de sale quam de alijs mercimonijs que in ciuitate ista fiunt/

Cum disceditur a coigançu itur versus syrocum una dieta per unum agerem qui est  
38<sup>v</sup> in introitu manci & est factus de pulcris lapidibus. & iuxta istum agerem| ab utroque latere est aqua uidelicet ab una parte maxime paludes ab alio uero latere paludes & aqua profunda per quam nauigatur & in prouinciam intrari non ualet aliunde quam per agere[m] istum nisi intretur per nauigium. In capite uero istius diete inuenitur quedam ciuitas nomine paughin multum pulcra [&] magna cuius  
gentes adorant ydola comburunt funera monetam habent de cartis & sunt sub  
dominio magni can Et sunt in ea aliqui xristiani turchi nestorini qui in dicta  
ciuitate unam habent ecclesiam. gentes uiuunt de mercimonijs & artibus habent  
habunda[n]tiam syrici fiunt etiam ibi drappi aurei & de syrico & de multis alijs  
maneriebus victualia habent copioxa/

**Q**uando quidem disceditur a ciuitate paugin itur una dieta per syrocum tunc inuenitur quedam ciuitas nomine cauyu multum nobilis & magna cuius  
gentes adorant ydola sunt sub dominio magni can & monetam de cartis